


*De Annulo aureo Runicis Characteribus signato, nuper in Anglia invento, et pluribus ejusdem Generis, brevis Dissertatio, Auctore FINNO MAGNUSON, Professore Havniensi, &c. &c. &c. ad JOHANNEM HODGSON, Sec. A.S. Pontis Ælii, per literas missa.*



FRARINEMARINRIEEXCEEEEEE

INVENTUS est hoc anno (1818), et Junio mense currente in prato palustri *King's Moor* (regia palude) dicto, prope *Carleolum*, Cumbriae metropolin, annulus aureus, in ephemeridibus pluribus Magnae Britanniae accurate descriptus et delineatus. Characteres Runicos vel Gothicos, quos annulus ille sculptos exhibet, sic explicare conatus sum. Lineam totam extraneam ita lego:

FRAR INPE TRIKI Π, RIDNEX TPE TEEET X, ✕,  
ORMR IUFL TRIGI A RIDONG TOKTNOSON A  
vel  
ORKR

intraneam autem: ↑N↑ i. e.  
TOL

Singula verba sic illustranda putavi:

**FRAR**: Literae hae indubiae sunt, excepta sola **A**. Valet sæpissime in Runis Scandinaviciis R finale, quam artifex hic inter duas alias ejusdem speciei literas vix repræsentare voluit. Puto ipsum scripsisse **A** pro **ψ**, M nempe Runico pro Scandinavorum more. Sic dictio erit ORMR, et nomen inter eos valde frequentissime usurpatur.

In Runis Germanicis **A** interdum legendum est **K**, et verbum nostrum, si istud alphabethon sequi malimus, ORKR.

**INFT JUFL** vel **JOFL**. Scandinavorum veteri sermone, secundum orthographicas eorum regulas post Latinas literas receptas: JARL vel JALL. Observandum igitur quod **Ń** vel **U** sæpe in Runicis ponatur pro **N** vel **O**, sed Dani rurales pronuntient *a* ut *o* lene ex. gr. *Faar* vel *For* pro scripto *Far*. RL vel LL in voce JARL peculiari pronuntiationis modo profertur, quasi dixeris JAFL, quod Cimbris. Juticis certe sonuerit JOFL et erit ideo nostri JOFL vel JUFL.\*

Vox ista Isl. JARL, JALL; A.-S. *Eorl*; Angl. *Earl*; Cambro-Brit. *jarll*; Alaman. *Erl*, comitis dignitatem denotavit. Finnis et Lapponibus *Jallo* sonat egregius, strenuus; alii vocem deducere tentaverunt a Græco *ελλω*, emitto, cum comites regum sæpe fuerint emissarii.

**TRIKI TRIGI**, Isl. *triggi*, *tryggi*, *trijggvi*, i. e. fidelis, fidus, cognominis modo positum. **K** abbreviatur pro **IK** vel **IG**, cum ambae literae in Runicis eodem caractere (**V**) repræsententur. In literis Celto-Ibericis **U** sæpe adhibetur pro Latinorum **C**, Græcorum **K**.

**Ń** Isl. **A** (pronuntiatum **AU**) hic adverbium loci, *in* vel *de*.

**RIDONH**, **VIDONH**, vel **VIDONH** aut **VIDONH**, cum prima litera ambigua duci potuerit. Cæterum ultima **X** (proprie **H**) sæpe in Runis Scandinaviciis et Germanicis ponitur pro **C** vel **G**, uti **H** ipsum in veteri Teutonum sermone. Lego igitur *Ridong*, *Redong* vel *Readong*, uti *Reading* vel *Reding* (adhuc usitatum), vel *Vidang* (campus sylvestris), *Vidáng* (planities ampla), *Veidang* (regio venatoria). Nuper nobis innotuit quod Normanni Neustriam occupantes, nova nomina e

\* Mercatores Dani in Islandia indigenarum nomina propria rescribentes sic pro *Biorn* vel *Biaurn* scribunt *Biodn*, *Biodtn*; *Hadla*, *Hatla*, *Hafla*, *Harla* pro *Halla*, &c.

propria lingua deducta, locis ibi sitis imposuerint; Danos primos Angliae partes subjugantes idem fecisse, non est adeo improbabile.\*

· ↑𐌺𐌹 ↑𐌺𐌹𐌸 Toktnoson vel Toktoson, Toktnason (Toctae vel Toctonis filius). Litera quarta e duabus composita videtur (↑ et 𐌺) nisi sculptoris mendo lineola obliqua characteri ↑ affixa, adscribenda sit.

· X A: possidet. Verbulum ab Islandis adhuc frequenter adhibitum, cum res varias sibi proprias eo designare soleant post primarias priorum nominum literas; ex: gr. G. J. S. A. (*Grimr Jons Son a*). *Grimus Jonae filius possidet*—annulum vel aliud quantivis pretii utensile.

Interior annuli pars continet singulam voculam ↑𐌺𐌹 (instrumentum, res fabricata, cimelium).

Sonus et sensus verborum inscriptionis e mea sententia sic igitur evadent.

(K)

ORMR JUFL (JOLL, Jall) TRIG(g)I TOKNOSON U.(a) RIDONG

Ormus } Comes                      fidus                      Toknae filius de                      Ridong  
vel  
Orkus. }

A TOL.

possidet cimelium (hocce.)

Cum quaeramus quis iste annuli possessor fuerit, imprimis observari debet nominis ipsius ambigua lectio. Nam,

I. Si legamus ORKR, *i. e.* ORIKR, OIRIKR, recentioribus EYRIKR (Ericus), hosce ejusdem nominis heroes in Anglia notos novimus:

(<sup>a</sup>) *Orrik (Orik, Ork)*, filius Horsii, celebris Anglo-Saxonum ducis, dicitur in Northumbria cum Frothone 5<sup>to</sup> bellum gessisse circa annum 462.

(<sup>β</sup>) *Orkr, Orc vel Oric*, fuit *Canuti magni Thegn (Thegen, Thaynus, Thanus)*, *i. e.* nobilis miles, comiti dignitate proximus, et baronibus

\* Nolo lectori reticere quod haec et proxime antecedens vox sic legi queant, 𐌺𐌹 I 𐌺𐌹 X. UR (de) IDONH vel IDONG, IDANG, EIDANG, tunc similiter, ut puto, nomen loci proprium, possessoris nativi vel addicti indicantes.

inferioris notae præstantior. Vernacula lingua se Danus hicce Jarlum, vel comitem, vocare sane potuit. Fuit anno 1023 oeconomus dicti Regis, qui ei tunc donavit prædium, postea monasterium *Abbotsbury* in provincia Dorsetensi. Existit de eo diploma circa villam *Portisham* ab anno 1024. Invenimus præterea comitem Danum nomine *Orguil* vel *Orkuil*, certe quidem a librariis corrupto, cæsum cum quatuor aliis ad oppidum *Ashdown*, in *Essexia*, tempore *Alfredi* Regis anno 871.

II. Accepta lectione *Ormr*, hi ejusdem nominis principes nobis in Magnae Britanniae vetustiore història occurrunt :

( $\alpha$ ) *Ormus*, comes (*jall*), de Anglia dicitur eduxisse viraginem Gothicam *Hervaram* juniorem. Vixit e conjèctura *Suhmii*\* circa annum 540.

( $\beta$ ) *Ormus*, Anglus, fertur sub Danorum Rege *Haraldo Hilditanno* militavisse in prælio Bravallensi anno 735.

( $\gamma$ ) *Ormus*, comes (*jarl*) *Northumbriae* et *Deirae*, floruit annis 941 et 42. Ejus filia nupta fuit *Amlafo*, Ostmannorum in Hibernia Regi. Cum *Northumbria* *Cumbriae* vicina sit, non est a vero absimile, quod annulus noster Ormo huic comiti proprius fuerit.

Certum alias est quod Dani et Norvegi multa et longinqua bella gesserunt in *Northumbria* et *Cumbria*. Sic hujus metropolin *Carleolum* circa annum 875 Dani penitus destruxere.†

Mirandum sane duco, quod ante aliquot, forte multos, annos, alter aureus annulus, partem præcedentis inscriptionis continens, in Magna Britannia inventus sit. Vidit eum ibi, vel saltem inscriptionis delineationem nactus est, vir celeberrimus et doctissimus *Grimus Johnson Thorkelin*, Regi Daniae a consiliis status *PP*. Descriptio annuli et aliae de ejus origine et fati annotationes perierunt, cum ipsius præstantissima bibliotheca et musæo in flammis obsidionis Havniensis, anno 1807; miserat tamen illustrissimo nostro optimati *Johanni de Bulow*, ordinis elephantini equiti aurato, &c. inscriptionis tale apographum :

\* *History of Denmark*, I. 383.

† *Pinkerton's Enquiry into the History of Scotland*, &c. Ed. 2. 1814. I. 86.

FRAR INFT ↑ RARI RIDONG XIFETFEFFFT  
ORMR IUFL T RIA RIDONG HLOSTOSONOL

vel

ORKR

vel

*Ormr jarl tri(ggi) a Ridong, &c. (vel ur Ridong, &c. vide supra.)*

Pro annuli primi ✠ hic habet ✠, nempe G in Runis-saxonicis secundum *Hickesium*. Vox vel voces *Hlostosotnol* aut *Glostosotnol* mihi sunt penitus ignotæ; num Cambrico, Gaëlico vel Saxonico sermoni adscribendæ sint, doctiores philologi videant.

Sic amborum annulorum possessor unus et idem fuisse videtur. Quomodo id fieri posset illustrare tentabo. Anuli aurei, inscriptionibus aut figuris signati, a veteribus literarum, vel chartarum, nostrarum loco usitabantur. Sic sponsus mulieri pro sponsionis, dominus servo pro manumissionis, documento annulum dedit, ut cætera taceam. Tesserae loco annuli sæpe adhibiti sunt, et plenipotentiarium, e legitimo mandato agentem, probabant; sic ex. gr. *Leges Baivar. Tit. 2, § 14*, "Si quis jussionem ducis sui contempserit, vel signum quale visus fuerit Dux transmittere, aut annulum aut sigillum, si neglexerit, venire," &c. Annulus pro literis missus in veterrimis Scandorum poematibus occurrit.\* Præterea Reges et Duces eorum vasallis, militibus et poetis suis, annulos aureos frequenter donavere. Necesse igitur fuit, ut idem princeps multos tales possideret.

Minime nobis in hac dissertatione omittendus est *tertius aureus annulus*, descriptus et depictus ab *Hickesio* (in *Thesaur. Antt. I. xiii. Tab. 17.*) Signatus est Runis et literis Anglo-saxonicis vel inscriptione hacce:—

\* *Edda Antiquior*, Tom II. Havn. 1818, pp. 287. 376. 271. pp. unde ex alia traditione, Runae ipsi, vel tabulae affixae, incisae, vel comitantes fuisse videntur. In antiquis Monumentis Medo-Persicis videmus *annulum* pro imperii symbolo positum. Vid. *Hoeckii* de illis librum, ed. Goettingæ, 1818. 4to. Tab. 2. pag. 31, sq.

ƆBRED ƆEC A HEATRED ƆEC Ɔ XROF.L

Odred }  
 vel } MEC A { HEUNRED }  
 EDRED } MEC A { HEANRED } MEC A GROF.

i. e. *Edred me possidet, Heanred me cælavit.*

*Hickes* sic legit:—

*Ædred meca Heanred mec a groft.*

*Ædredus conjux Henredae me cælavit; i. e. cælari jussit.*

Ultimus inscriptionis character nulli literae similis apparet; et distinctionis tantummodo signum esse videtur. Verba indubitanter veteri Danorum (hodierno Islandorum) sermone composita sunt, et grammaticis ejus regulis optime conveniunt. *Edred* et *Heanred* sunt nomina propria virilia Anglo-saxonico more expressa; illud eidem genti frequens; hoc autem Scandinavis *Hunraudr* sonuit.